



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

4. Cessio ad die praesente ad Ecclesiam ,de villa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

facere decreverint, liberum in omnibus potiantur arbitrium. Præsentem verò donationem, ne quicquam auri talium vilitate, gestus municipalibus alligari curavimus, & omnino decernimus ne aliquando in eam ob hoc causam quisquam valeat reperire. Quòd si aliquos instrumentis de ipsas villas de nomen nostrum in adversitate prædicti monasterij quolibet ordine comprehensus, aut antèrius aut postèrius prænotatos, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, à quocunque præter istum, quem firmissimum volumus esse, quoquo tempore ostensus fuerit, nullum sortiatur effectum, nisi vacuus & inanis appareat; auctorem verò criminis vel falsarium nec inultum tunc temporis patiat judicaria abire potestas. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostræ per quibuslibet ad inventionibus aliquis de heredibus nostris, aut judicium sava cupiditas, vel qualibet persona, obvius repetitor extiterit, à conventu omnium Christianorum vel limitibus Ecclesiarum extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruat consortium, insuper etiam inferat partibus ipsius monasterij vel fratrum ibidem consistentium, fociato quoque tam in actibus quam in prosecutione sacratissimo fisco, auri libras tantas, argento pondo tanta, & ne sic quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus præsens donatio, quæ à nos pro timore Dei & amore pauperum Christi conscripta est, firma & inlibata omni tempore debeat permanere. stipulatione subnixæ. Actum ibi sub die illo.

Cessio à die præsentè ad Ecclesiã.

IV. Dum fragilitatis humani generis pertimescit ultimum vitæ temporis subitanea transpositione ventura, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo, nisi dum suo jure & potestate consistit, præparet viam salutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem pervenire. Ideoque ego in Dei nomine ille & conjux mea illa pro remedium animæ nostræ & remissionem peccatorum nostrorum, ut veniam in futurum consequi mereamur, cedimus à præsentè die cessumque in perpetuo esse volumus, atque de jure nostro in jure & dominatione sanctæ Ecclesiæ illius in honore illius construendæ, villa nuncupante illa, sita in pago illo, quæ ex alode parentum aut unde-

Tom. II.

cunque ad nostra pervenit dominatione, & ad præsens possidere videmur, cum omni merito & termino suo, cum adjacentis, adjunctis, appendiciis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculium utriusque sexus majore vel minore, mobilibus & immobilibus, vel quicquid dici aut nominari potest, & tempore præsentè nostra videtur esse possessio, ad præsentè Ecclesiã volumus esse concessum; ita ut ab hac die memorata villa illa pars antedictæ Ecclesiæ, vel Pontifex civitatis illius, aut auctores Ecclesiarum, eam habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius elegerint faciendi, liberum in omnibus perfruantur arbitrium; ita ut nomen nostrum in libro vitæ conscribatur, vel pro nos utrumque sacrificium post obitum nostrum pio Domino offeratur. Licet in cessionibus penam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inferendum. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, nosiple, quod absit, aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu qualibet persona, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ullo unquam tempore contra præsentem epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini & veneratione sancti ipsius loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiverfator extiterit, anathema sit, & cum superscripto Domino illo ante tribunal Christi deducat rationes, insuper inferat juxta pœna seculi, cum cogenti fisco, partibus ipsius Ecclesiæ, aut auri libras tantas, aut argenti pondo tanta, & quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio omni tempore inlibata permaneat, cum stipulatione subnixæ.

Precaria de ipsa villa, dum vivit.

V. Domino sancto & apostolica sede colendo Domino & in Christo patri illi Episcopo ego ille & conjux mea illa. Pluribus non est incognitum qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiã illam in honore sancti illius villa nostra nuncupante illa, sita in pago illo, quicquid ibidem undecunque fuit nostra possessio, in integritate per epistolam cessionis nostræ visi fuimus concessisse, & eam vos ad parte superscriptæ Ecclesiæ recepistis. Sed dum postea nostra fuit petitio, & vestra benevolentia

C c ij